

EPISTOLA

est, excresceret in hanc molem, & in hujus Solis claritatem educeretur. Revoca, si vacat, animo diem illam, quâ me pro tua incomparabili humanitate in confertissimam ac lectissimam Palatii tui Bibliothecam admisisti.

Stupui circumquaque aspiciens aureorum Voluminum tam multa millia; sed ubi cœpisti de illis aperire os tuum, stupui magis, visus mihi audire in te Authorem omnium; adeò quidquid de quibuslibet sermoni occurrentibus aiebas, hæc erat cum integra brevitate singulorum analysis.

Meditabar tunc temporis istas Theologiae meæ primitias, fuique, ut rem fatear, ambitioso subito furore percitus, si fortè illas ad umbilicum perducerem, si fortè annueres, consecrandi eas nomini tuo. Perduxi, annuisti; meaque fortuna supra modum alta hæc est, ut in Viro tam verè docto, cujus patrocinium veritati sufficeret, obtinuerim & Virum tam verè magnum, cujus nobile Genus per innumerabilem annorum seriem non destitit venari & tueri veritatem omnem atque virtutem. In eo Genere tuo, **M E C O E N A S P R Æ S T A N T I S S I M E**, reperire non est, nisi